



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficult. 4. Posito, quòd subsistentia increata uniretur naturæ
humanæ, media subsistentiâ creatâ, teneretné impeccabilitas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

cavit, sed non quomodocunque: sed peccavit ante unionem hypostaticam. Si autem verificativum ita restrictum habetur, quod peccavit ante unionem hypostaticam; non potest fieri communicatio idiomatum, quod in presenti peccet, vel peccaverit Verbum; cum ipsum verificativum sit in presenti, sed non pro presenti. Imò ipsum ly, *in ante peccavit*, excludit communicationem idiomatum: cum præcedat suppositionem unionis. Unde illud, *ante unionem*, idem significat, ac si diceretur, *antequam posset fundari communicatio idiomatum*. In hoc tamen est communicatio idiomatum; quia verum esset dicere, assumpsit naturam Verbum, quæ peccavit: verificativum enim illius propositionis præsens, & pro presenti habetur.

ASSERO 5. *Casu, quo per impossibile, uniretur substantia divina, naturæ, non delecto peccato habituali, non posset dici Deus peccasse, præcisè ratione actionis peccaminosæ, quæ præterit.*

RATIO. Quia non habetur, pro illa differentia, fundativum communicationis idiomatum, unio per se.

DICES. Unde ergo oriretur, ut diceretur tunc, *Deus peccavit*?

RESPONDETUR. Oriretur ex morali præsentia peccati, non autem ex præcisò Præteritis, illius.

Punctum Difficultatis 4.

Posito, quod substantia increata uniretur naturæ humane, mediâ substantiâ creatâ, tene- retur impeccabilitas?

ASSERT Lugo hic Sect. 2. & Amicus Sect. 1. num. 24. Negat Ragusa apud Lugo.

ASSERO 1. *Impossibile esse; ut substantia Verbi uniretur, mediante substantiâ creatâ, naturæ humane.*

RATIO asserti petatur ex dictis in Metaphysica, ubi de substantia.

ASSERO 2. *Supposito, quod fieret unio illa substantiæ increatæ, ad naturam creatam, mediante substantiâ creatâ, peccatum naturæ humane, si per possibile vel impossibile, fieret à natura, prout terminatâ persona creata, non tribueretur persona increata, tanquam causæ speciali.* Et secundum hoc assertum convenio cum Ragusa.

RATIO 1. asserti est. Quia imprimis, principale fundamentum, quo oppositum probari posset, nullum est: principale enim fundamentum est, in hoc expositorio, quem putat esse verum, & rem convincentem Lugo, cum tamen non concludat. Est autem talis: Deus est hic homo; sed hic homo est peccans. Ergo Deus est peccans. Quod hic expositorius non concludat, ratio imprimis est: quia constat quatuor terminis, primus est ly Deus, secundus ly hic homo, quatenus supponit hic pro humanitate,

prout terminata personâ VERBI; aliâs si supponeret pro humanitate, prout terminatâ personâ hominis, falsa esset propositio: tertius terminus est ly hic homo, quatenus supponit pro natura prout terminatâ, à persona humana: quartus terminus est, hic peccans. Ratio præterea est: quia si in propositione, Deus est hic homo, non sumis naturam, prout terminatam personâ increata; falsa est propositio. Si item in minori, ly hic homo, non sumas pro natura, prout terminatâ personâ creatâ; falsa erit minor; porro expositivus non convincit, qui alterutram ex præmissis habet falsam.

RATIO 2. asserti est: quia communicatio idiomatum, secundum quam, dictum aliquid de uno, in ratione agendi, possit verificari de alio, in ratione agendi, fundatur in substantiali unionem: secundum quam sequitur, ut actio sit suppositi; quod supponit Lugo, qui substantialem unionem non admittit, sine substantiali incomplectione aliûs: & supponit, quod hæc incomplectio substantialis, respectu personæ divinæ, in natura creata, non possit esse, nisi in negatione substantiæ propriæ. Sed eo casu, non esset substantialis unio, fundans, ut actio sit suppositi hujus: Ergo tunc non erit communicatio idiomatum: Ergo nec peccante naturâ terminatâ à personâ divina, si simul terminetur à personâ creata, poterit dici peccans Deus: deberet enim dici peccans, ratione communicationis idiomatum.

RATIO 3. est. Posito, quod penetrarent se Petrus & Paulus, alligaretq; illos Deus in ordine ad inseparabilitatem realem; actio Petri non esset actio Pauli: sed illa unio foret per accidens: Ergo, & in presenti idem dicendum. *Neque valet, si dicas:* substantiâ Pauli non terminaretur natura Patri, consequenter nec operationes Petri tribui possent Paulo: non, inquâ, valet, si id dicas; quia uniri mediâ substantiâ, est non posse tribuere modum subsistendi personalem, personalitate divinâ: ut suppono ex communi doctrina. Consequenter non posset adhuc operatio humanitatis, tribui substantiæ divinæ. Si tamen, per impossibile, substantialiter unirentur: non posset tunc etiam illa persona creata peccare. Ratio: quia hoc ipso peccaret persona increata, per communicationem idiomatum.

DICES 1. cum Lugo. Eadem inconvenientia sequerentur, in dicto casu, quæ, si humanitas assumpta, & solo VERBO terminata, peccaret.

RESPONDETUR. Quod non quia in casu asserti, non esset communicatio ulla idiomatum; ratione tamen ejus, omnia inconvenientia sequerentur.

DICES 2. cum eodem. Licet tunc non uniretur immediatè humanitati, aliquid divinum; adhuc humanitas illa pertineret intrinsecè ad illam

illam personam, quæ simul esset Deus, & homo: quare ille homo, tunc esset Deus; & consequenter illi homini, deberetur cultus latræ, & cætera similia: Ergo etiam, illa humanitas haberet omnimodam repugnantiam, cum peccato: quia, sicut summa dignitas divina communicat, illi humanitati, summam excellentiam; sic & infinita sanctitas, summam excellentiam.

RESPONDETUR. Personam Verbi comparari eo casu posse, vel ad naturam humanam, vel ad personam: comparata ad naturam, non communicat illi summam excellentiam: quia hæc fundatur in unione substantiali, quæ tunc non esset: comparata etiam ad illam personam, non communicaret illi ullam excellentiam: quia etiam cum illa, non unitur substantialiter. Nego etiam in forma maiorem. Distingui quoque posset illa propositio: Humanitas hæc pertinet intrinsecè ad illam personam, intrinsecitate unionis substantialis, adeoque fundantis communicationem idiomatum: Nego; intrinsecitate, quæ non sit unio substantialis, concedo.

DICES 3. cum Amico. Eo casu, faceret illam humanitatem suam Verbum, saltem accidentaliter: Ergo contraheret debitum, illam humanitatem, in omnibus suis actionibus, regendi. Sicut non solum habet naturale debitum animus rationalis, regendi corpus sibi unitum substantialiter; sed etiam habet debitum dominus, gubernandi suum servum, mediâ conjunctione morali, accidentaliter tantum unitum.

RESPONDETUR. Sicut accidentaliter est unitum VERBUM, ita etiam accidentaliter acquirit debitum regendi; consequenter potest non regere. Nec valet paritas allata. Quia illam obligationem peculiarem in Verbo, secundum quam, actio illius humanitatis posset tribui VERBO, non potest aliud fundare quidquam, nisi substantialis unio; ad quam fundandam, in moralibus, non est necesse haberi substantialem unionem. Quod autem ad fundandum, ut particulariter hæc operatio censeatur esse Christi, non sufficiat aliud, nisi substantialis unio, ratio est: quia illa directio humanitatis est intransitiva, & ut supra dixi, non in alio consistens, quam consistat directio, facta à persona creata, respectu suæ naturæ; quæ directio est intransitiva, & sistens in unione sola personæ, cum natura.

ASSERO 3. Posito, quod Subsistentia increata terminaret naturam humanam, mediante personâ creatâ, dignius sentit de sanctitate Dei, qui etiam eo casu, dicit impossibile esse peccatum.

RATIO, quia ostendit maiorem oppositionem sanctitatis illius, cum peccato. Et sicut lux, non tantum immediate transmissa per aërem, illuminat domum, & expellit tenebras: sed etiam mediante vitro, & crysallo; sic etiam lux

sanctitatis potest, mediante subsistentiâ creata, pellere tenebras peccati. Et certè, si concedatur sanctitati divinæ maxima oppositio cum peccato, & talis, qualis est inter lucem & tenebras; etiam mediatum esse divinum, erit mediatum non esse peccati; nihil autem nos revocat, à tali oppositione cum peccato, Sanctitati divinæ concedenda. Unde incompossibilitas peccati, cum illo toto, non oritur ex eo, quod debeat dici, *Deus peccans*; sed ex eo, quia conveniens est, ut expellatur peccatum, suppositâ talium.

Punctum Difficultatis 5.

De aliis Impeccabilitatem concernentibus.

QUÆRES I. An unio hypostatica stare possit cum fomite? Nomine fomitis duo intelligi possunt. Fomes in actu primo, & per modum potentiae, & Fomes in actu secundo, & quasi exercitium illius actus primi. Fomes in actu primo, nihil aliud est, nisi ipse appetitus sensitivus, inclinans ad bonum sensibile, natum prævertere usum rationis. Fomes autem in actu secundo, est actio appetitus sensitivi, prævertens usum rationis, inclinans ad bonum sensibile. Rursus hoc ipsum prævertere rationem, dupliciter contingere potest; vel prævertendo eam per ordinem ad objectum dissonum rationi, vel prævertendo nonnisi simpliciter ad objectum sensibile. In omnibus his suppositionibus resolvitur debet difficultas.

ASSERO I. Non implicat, ut in natura assumpta, detur actus appetitus sensitivi, circa objectum sensibile non dissonum naturæ intellectuâli, prævertens rationem.

RATIO est. Tum quia potest Deus præterminare ad talem actum, adeoque esse causâ, illius actus, particularis: Ergo stare poterit ille actus cum unione hypostatica. Si enim potest Deus esse causâ particularis, talis actus, extra unionem; poterit esse, etiam positâ unione. Tum quia, si talis actus repugnaret, repugnaret vel ex ratione sua generica, vel ex ratione sua speciali, in quantum scilicet poneretur à natura rationali; sed neutra ex his ratione repugnat VERBO; non primâ: quia aliâs VERBUM non potuisset assumere naturam bruti alicuius; in illo enim actiones illæ, nec attendissent, nec attendere potuissent, ad dictamen rationis, utpote bruto impossibilis; non etiam ex ratione hac, quod illæ actiones fierent in natura rationali: quia nulla est oppositio cum natura rationali, si potentia, nata ponere non rationales actus, operetur secundum eam vim naturalem operandi, quam habet; sicut nulla est oppositio cum natura rationali, si calor manûs calefaciat aliam manum, prævertendo imperium rationis.

Neq.